

## Peter of Trabibus, Commentary on the Sentences (Florence, Bibl. Naz. D. 6. 359)

Transcribed by Tuomas Vaura<sup>1</sup>

### Abbreviations

add.	addidit
del.	delevit
fol.	folium
marg.	marginē
om.	omittit
[...]	additio
<...>	additio editoris
(?)	lectura incerta

### Liber 2, distinctio 17, quaestio 2. (fol. 22ra)

#### Utrum in uno homine sint plures animae?

Secundo quaeritur, utrum in uno homine sint plures animae? Et videtur quod sic, quia quando in aliquo sunt aliquae quorum unum est perpetuum et aliud corporale, illa sunt vere duo. Sed sicut dicit Philosophus, *II De anima*, sensitiva in homine est corporalis et intellectiva est incorporalis et perpetua, quia separatur, etc.

Item, illa quae habent diversa principia et fundantur in diversis principiis vere sunt diversa. Sed taliter sunt sensitiva et intellectiva in homine, quia una, ut sensitiva, est a generante, et intellectiva est a Deo, ut dicit Philosophus et sui sequentes, ergo etc.  
<22rb>

Item, impossibile est quod unum et idem moveatur contrariis motibus simul et semel. Sed caro et spiritus contrariantur et sibi invicem adversantur. Probatio minoris, *Ad Galatas V*,<sup>2</sup> caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem, haec enim sibi invicem adversantur. Et constat quod hic non potest dici, quod hoc dicatur de carne ex se, quia ipsa non concupiscit, ergo ratione suae animae.

**Contra**, unius perfectibilis animati una est perfectio. Sed homo est unum animatum, ergo habet unicam animam perficientem.

---

<sup>1</sup> The transcriber would like to acknowledge the funding from the European Research Council for the research project *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* under the grant agreement n. 637747. I would like to thank Annemieke Verboon, who has helped me to improve the transcription. The line division of the transcription follows the line division of the manuscript.

The transcription may be cited as follows:

Peter of Trabibus, *Lectura* lib. 2, d. 17, q. 2, Tuomas Vaura (ed.), *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* -project. URL = <<https://blogs.helsinki.fi/rationality-in-perception/texts/>>. 2019.

<sup>2</sup> Gal. 5:17.

**Respondeo**, dicendum,<sup>3</sup> quod sicut iam dixi, error fuit maniceorum, quod anima rationalis erat de substantia dei et haec semper bona faciebat, sed cum hoc ponebant unam animam de substantia mali dei et semper male faciebat. Et haec sunt de quibus dicit Apostolus,<sup>4</sup> ut dicunt, quae sibi invicem adversantur.

Sed iste error est iam improbatum quantum ad unam partem. Unde positionem plurium deorum, unius boni et alius mali, Philosophus deridet, *III Metaphysicae*, et *De caelo et mundo*, dicit, *II liber*, quod est fabulosa. Sed quantum ad aliam partem est improbandum et faciliter, quia destruit se ipsum, quia ponit quod non<sup>5</sup> facit bonum nec facere potest, quia impossibile est quod sit aliquid summum malum, quia illud malum [aut]<sup>6</sup> est aliud aut non. Si non, quod nullus est, non facit malum nec bonum. Si vero aliquid est, ergo est bonum, quia ens et bonum convertuntur, *I Ethicorum*.<sup>7</sup> Hoc idem sequitur de actu suo quem facit.

Item, omnis natura, quae facit actum suum naturalem secundum exigentiam suae naturae, bene facit. Sed positio dicit, quod male facit.

Item, nullus peccant faciendo quod vitare non potest nec potuit. Hoc dico, quia sicut dicit Anselmus etc., quod multi sunt qui non possunt, sed quia in illam impotentiam se posuerunt, non excusantur. Sed si anima illa mala non potuit nec potest vitare nec facit peccatum, ergo falsum dicit, quod peccat in eo quod vitare non potest.

Praeterea,<sup>8</sup> hunc errorem est unus alius, qui ponit in homine duas animas, scilicet, unam a generante, quae corpus vivificat et administrat, et altera a creante, quae rationem administrat.

Et<sup>9</sup> iste error dampnatur fuit in quodam concilio cuius dicta collegit Gennadius (sic) et fecit inde quendam libellum, qui dicitur *De ecclesiasticis dogmatibus*, in quo plures errores sunt dampnati. Unde ibi<sup>10</sup> sic dicitur, non duas animas in uno homine esse dicimus, sicut Iacobus et quidam alii Syrorum scribunt, sed dicimus unam animam esse eandem in homine, quae et corpus sua societate vivificat, et semetipsam sua ratione disponit, habens in se libertatem arbitrii, ut in sua substantia eligat cogitationem quam vult. Nec potest dici quod ex illis fiat una per compositionem, sicut iam aliqui dixerunt, quia etiam ibidem dampnatur.

Item, idem dicit Augustinus, *Contra epistolam fundamenti*, intelligentiam, inquit, et sensitivam et vegetativam partes animae in homine esse,

---

<sup>3</sup> Add. in marg. *prima(?) error*

<sup>4</sup> Gal. 5:17.

<sup>5</sup> Scripsit sed del. *bonum*

<sup>6</sup> Add. in marg.

<sup>7</sup> Aristoteles, *Ethicorum* I.6, 1096a.

<sup>8</sup> Add. in marg. *secunda error*

<sup>9</sup> Add. in marg. *contra*

<sup>10</sup> Gennadius Massiliensis, *De ecclesiasticis dogmatibus* cap. 15.

non animam. Sed si est pars, non est totus, sed alicuius totius.

Item, dicit Avicenna,

*VI Naturalium*,<sup>11</sup> potentiae animae humanae habent unum vinculum commune et unam radicem communem in qua radicantur. Et probat per hoc, quia una non remitteretur propter alterius actum, si ita non esset. Ergo ex quo remittitur sunt una essentia.

Item, ratione potest probari, quia anima unitur corpori ut forma, aut ergo est forma se tota, aut per aliquid sui. Sed non potest dici se tota, quia tunc potentia intellectiva esset forma corporis sicut sensitiva, quod est contra Philosophum, *II De anima*,<sup>12</sup> dicente, nullius corporis est actus. Et etiam omnis forma corporis est ligata taliter, quod non potest se reflectere supra se, quod falsum est de intellectiva, quia potest se reflectere. Et omnis talis forma communicat corpori actum suum primum et cuilibet eius parti, et tunc oportet, quod quaelibet pars hominis intelligeret, sicut quaelibet pars sentit et quaelibet pars vivit, quod falsum est apud omnes, scilicet, quod quaelibet pars hominis intelligat. Ergo relinquatur, quod anima uniatur corpori per aliquid sui. Sed hoc non potest esse suum materiale. Ergo aliqua pars formalis, scilicet, sensitiva et vegetativa.

Est igitur dicendum, quod tota anima corpori coniungitur, sed non est tota eius perfectio, sed aliqua eius partes formales. Et non sunt in [uno]<sup>13</sup> homine per consequens nisi una, habens plures partes formales, quarum aliquae sunt eius partes formales communicantes <23va> eius actum et aliquae non, ut intellectiva et volitiva.

### **Ad primum et secundum**

**argumentum**, dicendum, quod minor est falsa, scilicet, quod sensitiva corrumpatur. Nec(?) est ei credendum, qui dixit, quod sit a generante. Sed vere est a creante tota anima cum suis potentiis.

**Ad tertium**, dicendum, quod verum est, quod illud, quod est una essentia, non potest contrariis motibus simul moveri,<sup>14</sup> sed non est verum, quod illa quae sunt unum in supposito, ut patet, quia corpus secundum Philosophum habet 4 elementa in sui compositione, quae ad sua loca habent inclinationem.

---

<sup>11</sup> Avicenna, *De anima sive sextus naturalium* pars. 1, cap. 1.(?)

<sup>12</sup> Aristoteles, *De anima* II.1, 413a.

<sup>13</sup> Add. in marg.

<sup>14</sup> Scripsit sed del. *sed non est verum, quod illa quae sunt unum*